

TABULA 38.

GLADIOLI COMMUNIS VARIETAS.

GLADIOLUS triphyllus. *Sibth. MSS.*

In Cypro campestribus ad meridiem montis *Troodos* dicti, solo fertilior. *D. Ferd. Bauer. 2.*

*Caulis* spithamæus, subtriphyllus. *Spica* tri- vel quadriflora. *Corollæ* labium inferius albus, nec roseus. Varietas Gladioli communis, nequaquam species distincta, mihi videtur.

a. Flos arte expansus, cum staminibus atque pistillo in situ naturali.

b. Pistillum.

IRIS.

*Linn. G. Pl. 27. Juss. 57. Gertn. t. 13.*

*Corolla* sexpartita, supera; laciniis alternis reflexis. *Stigmata* petaliformia.

TABULA 39.

IRIS FLORENTINA.

IRIS corollis barbatis, caule foliis altiore subbifloro, floribus sessilibus.

I. florentina. *Linn. Sp. Pl. 55. Redouté Liliac. v. 1. t. 23. Desfont. Atlant. v. 1. 36.*

I. alba florentina. *Tourn. Inst. 358.*

In cæmeteriis neglectis rariùs. *D. Hawkins.* In insulâ Rhodo, et in Laconiâ. 2.

*Radix* tuberosa, horizontalis, subarticulata, ramosa, depressa, exsiccatione odorem violæ spargens. *Caulis* erectus, simplex, nudiusculus, teres, plerumque biflorus. *Folia* omnia ferè radicalia, vaginantia, disticha, ensiformia, verticalia, nervosa, glaucescentia, apice incurva. *Flores* terminales, erecti, sessiles, suaveolentes. *Bractææ* alternæ, monophyllæ, ventricosæ, nervosæ, margine scariosæ. *Corolla* cæruleo-albida, basi lutescens, atque purpureo variata, barbâ fulvâ: tubus germine sesquilingior. *Stigma* corollâ concolor, laciniis apice bifidis, acutis, serratis.

a. Lacinia corollæ exterior, cum barbâ.

c. Stamina tubo corollæ imposita, abscisso stigmati.

b. Lacinia interior.

d. Germen tubo corollæ, stylum amplectente, coronatum.